



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum  
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ  
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 16. An licet emere, vel redimere pensionem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

**Q.** 16. *An licet emere, vel redimere pensionem?*

*Reſp.* Ex communi, Simonia est emere, vel vendere pensionem assignatam pro aliquo Officio spirituali, v. g. pro Adjutore Episcopi, Concionatore; quia hæc fundatur in Ministerio spirituali, nec nisi ratione illius potest quis jus ad illam habere. Unde non potest vendi, quin vendatur ministerium spirituale, in quo fundatur. Neque licet eam redimere, quia non potest extingui obligatio ad tale ministerium spirituale, cùm hoc debeat remanere. Item simonia est juris divini emere, vel vendere alias pensiones, quæ soli Clerico conceduntur sive in sustentationem, sive ad litem componendam, aut fructuum inæqualitatem compensandam in Beneficiis: quia sunt annexæ titulo, & Officio spirituali, scilicet recitandi Officium B. V. imposito à Pio V. ita ut qui illud omittit, redditus amittat. Et sic non solum requirunt statum clericalem, sed etiam hoc officium spirituale, ratione cuius acquiritur jus ad illos redditus. Quare jam pensiones illæ sunt quidpiam spirituale constans ex illa obligatione spirituali, & jure ad temporalia ei annexa: sive nil aliud sunt quam jus percipiendi fructus Ecclesiasticos medio officio spirituali. Cùm autem hoc officium sit

iii-

invendibile, ita & jus percipiendi fructus illos ab illo est inseparabile. Neque hæ pensiones redimi possunt, nisi tollatur spirituale, quod tolli non potest nisi à Papa, à quo constitutum est, *Ita Suarez, Reginald. & alii.* Secùs de Laicali pensione, quia talis pensio est quid merè temporale; cùm non fundetur in titulo spiriruali, nec ni annexa sit functio spiritualis, nec ad eam ordinetur, sítque separata à titulo spiriruali.

*Q. 17. An Redemptio vexationis licita est in Beneficiis?*

*Resþ.* I. Simonia est redimere vexationem, seu oppositionem non injustam ad obtinendum Beneficium, v. g. dare pecuniam alteri, ne defectum tuum Collatori detegat, ne pro alio obsecret, ne habens jus uterūque probabile litem moveat, vel motam prosequatur, ne doctior ad concursum cùm aliis conveniat, ut competitor à prætensione justa desistat, &c. *Ita omnes teste Suarez,* quia via ad Beneficium per pecuniam pararetur, & medià re temporali acquireretur spirituale. Et licet redimens non det pretium immediate pro re spiriruali; tamen mediate vult acquirere jus spiriruale mediante pecunia, quod est emere illud. Et quamvis jam haberet jus aliquod ad illud, tamen cùm vexatio est